

P V I S



1 6 0 3



IN HONOREM  
CLARISSIMI VIRI, SAPIENTIA  
ET VIRTUTE PRÆSTANTIS D. HENRICI  
*Iagow Hildesienſis, cum ei decerneretur  
gradus Doctoris in utroq̃  
iure.*

Carmina ſcripta ab  
*Erdmano Copernico*  
ET  
*Michaele Haſlobio.*

*bu.*



Frankofurti ad Oderam  
M. D. LXIII.

IN HONOREM  
CAESARIS VIRI APPIANUS  
MAGISTRI PRÆCEPTORIS D. HENRICI  
Magistri Bibliothecæ cum ei doctoriam  
gradus Doctoris in utroque  
iure

Carminibus scriptis ab  
Friderico Carminibus  
ET  
Michaeli Habbo



Francforti ad Oderam  
M. D. L. XII.



IN HONOREM CLARISSIMI VIRI  
Dn. Henrici Iagow Hildesiensis LL Doctoris,  
carmen scriptum ab Erdmano  
Copernico.

**E**ST nemus ad flumen Viadri, nemus arbore densum,  
Qui uidet hoc, sacrum numen inesse putat.  
Gramine respirat tellus, auditq; uolantum  
Carmina diuersis continuata modis.  
Quáq; procul spargunt salices sub floribus umbram,  
Nobilium Vatum uox operosa sonat.  
Huc ego, solatus diuerso carmine curas,  
Flecto, sub herbosi tempore Veris, iter.  
Ecce uenit Phæbus Cithara Lauroq; uidendus,  
Dat lyra concentum, Laurus odore iuuat.  
Pone Ducem curuo uenerantur poplite Musæ,  
Omnibus in pulchro uertice nimbus erat.  
Longius egressus colo numina (numina rebar  
Ex oculis, manibus, uoce) secuta Ducem.  
Tum uerò nitida decoratam fronte uidebam  
Terpsichoren digitis sollicitare lyram.  
Vtq; fides, uocem citharæ iunctura, tetendit,  
E cithara talis fluxit & ore sonus.  
Iam roseum tandem maturat Lucifer ortum,  
Præmia cum IAGO digna labore feret.

A 2

Nam



Nam teneris artes, legesq; secutus ab annis,  
Vt capiat curæ munera, dignus erit.  
Hunc coluit Suenus cælo notissimus amnis,  
Qui fouet amplexu numina nostra suo.  
Quà nobis IO ACHIMVS Shabet Septemuir honorem,  
Sicut ab Hetrusco sanguine cretus Eques.  
At longo Leges veneratus tempore duxit  
Consortem thalami, motus amore, sui.  
Tunc etiam gemini spaciōsa uolumina Iuris  
Voluit, & inceptum continuauit iter.  
Iamq; dies instat, capiet quo pulchra laboris  
Præmia, quâ Viadri diluit unda solum.  
Nos quoq; iucundi sub tempore Veris adimus  
Gaudia, præsentī continuanda die.  
Nostraq; cultori benè gratæ donæ feremus  
Dulcia gratantis carmina mentis opus.  
Quæ minimè nostra cantari uoce merentur,  
Summa licet, parua sunt peritura mora.  
Asspice quàm splendor iaceat spretissimus orbis,  
Qui nihil è nostro munere laudis habet.  
Asspice quàm superent præclarè facta sepulchrum,  
Vt rapidos Virtus excubet ante rogos.  
Hunc quoq; sub summos uehet inçlyta gloria cælos,  
Nullaq; Liuoris lingua nocere uolet:

Seu



Seu uideas mores animi, seu pectoris artem,  
Dum studijs Legum deditus esse cupit.  
Seu libeat curam cognoscere, siue laborem,  
Cum peraget Domini seria iussa sui.  
Illustris Domini, quo nil præclarus unquam  
Vidit honorato Suenus ab amne pater.  
Nos igitur tensis fidibus gratamur ouantes  
IAGOVIO, nostros quod colit ille choros.  
Clare sed ô Legum studijs letare: sororum  
En tibi nostrarum splendida turba fauet.  
Et Proceres plaudunt hilares, & Phœbus honori  
Accinit, & ponit florida ferta comis.  
Nec minus & Pallas uultum generosa serenat,  
Quæ studij præses dicitur esse tui.  
Letior acclamat Themis, & deserta reuifit  
Oppida, quæ Legum dogmata iusta colunt.  
Quòdque fuit gemini tibi culta scientia Iuris,  
Præsede SCHRADERO, munera digna dabit.  
Gaudia quin THOMAS Sueni digressus ab undis  
Adderet, in cuius gutture uernat Apis,  
Gratia quem nostro sequitur circumdata cœtu,  
Luscinie cantu qui potiora sonat.  
Hos etiam cœtus Pomeranæ gloria terræ  
Ille tuus (credo) uiseret OTTO gener.

A 2 OTTO



**O**TTO gener, cuius crescit facundia labris,  
Cuius ab ore sonus fluminis instar abit.  
**E**fficienda Ducum sed utrunq; negocia raptant,  
Vt nequeant festum condecorare diem.  
**E**t plures aderunt, quos Odera continet amnis,  
In studijs legum qui posuere moram.  
**S**it felix honor iste tuus, patriæq; tibiq;  
Vtilis, & cœptum seruiat omne Deo.  
**N**emo sibi tantum uiuit, sed proxima sperant  
Pectora solamen, curia sperat opem.  
**D**ixit: & applausum mouit uicinia ripæ,  
Omnia quæ, paucis dicta, notata fero.  
**T**u cape **IAGO VI**: sic exige Nestoris annos,  
Detur & optatis aura secunda tuis.

**F I N I S.**

**AD CLARISSIMUM VI-**  
**RVM ERVDITIONE, VIRTUTE,**  
& sapientia præstantem Dn. Henricum  
Iago LL. Doctorem.

**E**Cquid condio mella felle **IAGO**  
Præclarissime, dum laboro laudes

Digno





Digno condere? forsitan uidebor  
Vrticas uiolis, rosasq; spinis  
Intertexere: Sic habe, quod amnis  
Suenus me uocet ad lares amatos,  
Patronosq; meos: & ipse nostrum  
Expectat reditum colendus Albis  
Cum Sale fluuio: dat hic quietem,  
Nostras ille iuuat fauore Musas,  
Quæ curis uarijs gemunt, & optant  
Solamen querulæ suo dolori.  
Si præsto nihil, adde tu Camœnæ  
Docto nomine nomen: utq; dicam  
Alto pectore quod sedet, probabo  
Amorem tibi candidum, nec ullam  
Laudem quero, sed appeto fauorem.  
Ducebam melius tacere: uerum  
Cum Musas amor urgeat, Camœnam  
Dicemus Nomij tibi fauentis.

MICHAEL HASLOBIVS

Berlinensis.

Nomi



## NOMIVS.

**C**Vm roseo exortus uestiret lumine terras,  
Demeret ac lucem Phæbus cælestibus astris,  
Tempore, quo iunctim uolucres à robore pendent,  
Affanturq; diem cantu, & solatia in aruis  
Agricolis præstant, Nomius, cui dulce dolorem  
Fallere ludendo, & tennes tentare cicutas,  
Stratus erat uiridi in ripa, quâ plurima quercus  
Et salices texunt fessis umbracula membris:  
Instauransq; lyram, uacuas ita lusit ad auras.

Iam nihil assueto iuuat indulgere labori  
Vere nouo, & tristes animo exercere querelas,  
Sed Cithara Heroas celebrare, & dicere Diuos,  
Dum nectit uiolas Chloris, fingitq; coronam,  
Quam capiti imponat Iago, cui lactea fandi  
Copia, diuiniq; abeunt è pectore rores.  
Is noluens gemini spaciola uolumina Iuris,  
Arcis inaccessæ penetralia celsa Themistos  
Appetit, & montis consistit uertice uictor.

Ipsa etiam Adrastæa redit, portasq; subintrat  
Cum plausu, populosq; colit, quæis iusta probantur.  
Se sociam adiungit Clementia: pone uidentur  
Ire Æquum, Princepsq; Fides, Constantia ueri.

Et

Et Themis in sese Virtutum continet agmen.

Hæc Dea quæ cælum, cæliq; sedilia liquit  
Luce sub hac dignos Iago concedet honores  
Post dubias animi curas, uariosq; labores.  
Qualis ubi Elei metas, atq; ardua campi  
Tangit equis spacia, audet eques sperare coronam  
Victor, & euictos inter procedere cursu.  
Conspicius uerò donis in facta tuentum  
Lumina conuertit, dignoq; insistit honori.  
Hæc Dea præstantem uarijs uirtutibus illum  
Efferet, ac dignis ornabit laudibus altas  
Ante aras, genibus flexis, curasq; leuabit.  
Hinc Æqui cultura fluet, Probitasq;, Fidesq;,  
Blandaq; Libertas fora dudum spreta reuifet,  
Atq; adeo Diuam gladijs & lance coruscantem  
Cerno. Quis è uultu splendet color? aspice, dignam  
Ut foueat Diua mentem: Grauitas licet illam  
Occupet, humanum uiuit sub pectore numen.  
Dextra tenet gladium, reprobos ut puniat illo,  
Afficiat dignos meritis, & honoribus ornet.  
Nec minus ostentat lancem, quæ pendula cunctis  
Æqua facit, semperq; tenetur partibus iisdem,  
In medio uersans, nulla superabilis arte,  
Nec prece, nec precio, sibi constans omnibus horis.

B

Talis

Talis erat quondam cum iusti nomen adeptus  
Imperio rexit populos, iustissimus unus  
Qui fuit in mundo Princeps, & deditus æquo.

Ergo aliquis cernens Viadri sub flumine Diuam,  
Vnde nouus sit tantus honos, unde illa recurset  
Gloria, pectoribus uoluet, mirabitur annis  
Odera, & ingentes ostendet gurgite plausus.

Deniq; continget spacium, metamq; malorum  
Curia, gaudebit nitidis arx cognita cæli  
Sideribus, quæ Sueuus abit spumantibus undis,  
Et Dominum recti cultorem obseruat in amni.

Salue leta dies, quæ nostris lumina terris  
Sufficis, Arctoïis ubi cernitur Vrsa sub oris.  
Iusticiæ claros studijs alis, & quibus æquum  
Et cultura placet iusti, uatesq; disertos.  
Felix alma dies, tu flore uenustior omni  
Floribus exurgis uarijs, camposq; serenas  
Luce: sed haud undas negat Odera suauibus hortis,  
Iam rident campi uiolis, pulchrisq; Hyacinthis,  
Atq; rosis nullo Cithereæ sanguine tinctis.

At tu care senex Viader notissime cælo,  
Qui salices inter fluitans, Quercusq; sonantes,  
Vatibus ostendis sub opacis frondibus umbram,  
Spargito humum fluuio, ut Laurus sua germina prodat

Cras

Cras ubi consuetis se cœlum uestiet astris,  
Vespere carpemus Laurum, quam uertice gestet  
Iago, nouenarum decoratus amore sororum.

Ille tuos coluit fluuios, ceu Castalis undam,  
Gratatusq; animi requiem, cantusq; sonoros  
Murmur in emissum tibi pronas præbuit aures.  
Nec prius optauit uenienti nocte soporem  
Quàm, sibi sperata, uictor consisteret arce.

Non secus ignotas meditans in cordibus urbes  
Haud prius absistit, neq; finit lenta uiator  
Tædia, quàm metam possit lustrare petitam.

Nec uerò illius spes uota fefellit euntis  
Per Labyrinthi sexcenta oracula iuris.  
Quippe parens laudis Virtus cultoribus affert  
Præmia, quin factis ubi desunt præmia, Virtus  
Ipsa sibi precium statuit, tandemq; triumphat.  
Hæc eadem sub Vere nouo, plaudente corona  
Nobilium Procerum, quos cœlis gloria sistit,  
Dona dabit, titulosq; nouos, insignia claræ  
Splendida Virtutis solo sudore parandæ.

Inde petet rerum dubiarum curia præsens  
Auxilium, finemq; uolet sperare malorum.  
Nanq; ibi succedunt melius, meliusq; geruntur  
Omnia, cum magnis Sapiencia regnat in aulis.

B 2 Tunc



Tunc manant bona multa, & iniquum uincitur æquo.  
Ille autem fessis poterit succurrere rebus,  
Consilijsq; alijs prodesse, & pressa leuare  
Corpora: Ceu quondam Sueuus flammante perustos  
Sole agros reficit, ueteremq; inducit honorem.  
Ante suis stabant uiduati floribus illi,  
Vixq; furente igni, ætherea sub luce, gemebant:  
Nunc uerò capita extollunt, solitisq; coruscant  
Luminibus, segetesq; ostentant, horreaq; implent.  
Auguror: hunc urbes Arctoæ sepe uidebunt  
Consilijs magnum, dubijsq; in rebus ab illo  
Sperabunt operam, ceu quondam oracula Pubes  
Consuluit Delphis, Fatorum arcana reportans.  
Illius egregias uirtutes, claraq; facta  
Sæpe fatebuntur Proceres, cum guttura soluet,  
Verbaq; manabunt, ceu densis imbribus acta  
Grando ruit, sonitusq; ciet, tectisq; resultat.  
Ac uelut Idaliam languente in stipite Myrtum,  
Prostratam pluuijs, aliquis subito erigit, undis  
Et radijs fouet admisis: Sic ille clientes  
Eximet è curis, solitoq; in honore reponet.  
Hinc poterit dignas aliquando auferre coronas.  
Testis erit Sueuus, clarus qui Heroibus illum  
Audiet, ac celebri regnantum nutriet aula.

Sæpe

Sæpe peregrinas idem uersatus in oris  
Expedit uigili commissa negocia cura.  
Sæpe feret palmam, proprio & gaudebit honore,  
Eximia positus sede inter lumina Sueui.

Quin etiam Vatum citharas, & plectra canentum  
Audiet. ille etenim facunda à Pallade doctus  
Prosequitur doctos studijs, & præstat amorem.  
Vaticinor: possunt uentura recludere Musæ.

Salve læta dies, Iago quæ præmia confers:  
Nos tibi spargemus uiolas, roremq; marinum,  
Nunc Violas dabimus, mox hæc ad flumina Laurum  
(Laurus enim nostris etiam se tollit in hortis)  
Soluemus, fertisq; altas cumulabimus aras.

Hactenus Arctoæ Nomius benè cognitus urbi,  
Cum Viadri portis sese intulit omine leto.  
Dumq; intrat, uidet accitos ad gaudia claros  
Arte uiros, quibus immixtus socio agmine cœpit  
Pectoribus lætis hilarem producere lucem.

## ALIVD IN EIVSDEM GRATIAM

Scriptum.

Ducit odorati sub amœno tempore ueris  
Candida Flora choros,  
Frigora mitescunt Zephyris, & sufficit hortus  
Graminis omne genus.

B 3 Ipsa



*Ipsaq̄ Diuorum quæ stat Themis ante tribunal  
Ducit in urbe moram.  
Et loca, quæ legum studijs sunt clara, reuisit  
Pacis amica Themis.  
Huc quoq̄, quâ leni perlabitur Odera muros  
Flumine, fecit iter.  
Dumq̄ uidet sacræ cultores legis honorem  
Poscere, dona uehit.  
Dona uehit secum tribuenda laboribus, inter  
Lumina prima chori.  
Cum uiolis Laurum teneram, roremq̄ marinum,  
Quicquid & hortus alit.  
Teq̄ uidens doctos Iagoui uoluere libros  
Dona ferenda feret,  
Vt tibi facundi texant encomia uates,  
Et tuus extet honor.  
Hæc igitur doctos inter cape præmia sancti  
Numinis aucte bonis.  
Et, tibi dent Pylj sapientia pectora, Diui,  
Nectar ut ore fluat,  
Vt facias accepta Deo, & primoribus urbis,  
Quam Sprea cingit aquis.  
Te bonitas mentis decorat, tibi conscius equi  
Iustus inhaeret amor.  
Te celebrem Virtus facit, & sub sidera tollit  
Te generosa fides.  
I cape Schradero sub præside iusta laboris  
Præmia, digna dari.  
Quæ uirtus tua promeruit, pulcherrima uirtus,  
In studijsq̄ labor.*

AD



AD DOCTISSIMUM VIRVM DN.  
Henricum Iago L.L. Doctorem.

Filius ut quondam genitore superstite gaudet,  
Ipsius meritis si quis habetur honos:  
Vtq; cliens fausta letatur sorte Patroni,  
Si, comes officij, gloria pulchra uenit:  
Sic ego, quo possum, mea testor gaudia, curis  
Dum uideo ferri præmia digna tuis,  
Et Viadri proceres inter, Legesq; sequentes  
Conscia uirtutis splendida dona dari.  
At rogo cælestem letatus, honoribus istis  
Auspicius, maior quò patefiat honor.

AD THE MIN.

Diua quæ lancem gladiumq; gestas,  
Et suis donis cumulas merentes:  
Sic frequens cultor tibi sit: sub ædem  
Dirige gressum.  
I, tuos tandem populos, & urbes  
Vise, quæ doctas uenerantur artes,  
Affer & dignos properans, honores  
Iusta secutis.  
Hinc honos longis tibi surget annis,  
Templa cum cernes decorata Myrto,  
Vota cum sceptris faciet iuuentus  
Æmula iusti.

Quin

Quin ubi celsa super arce stabunt  
More uictorum, tibi consecrabunt  
Splendidas aras, & habebis olim

Dona tuorum.

Annuis clemens (uideo) coronam,  
Quam comis gestet sacer ille iustis  
Legibus Iago, quia fers & ornas

Germine crines.

Sit quater felix honor haud notandus  
Ore Liuoris, patriæq; dulci  
Seruiat, nostros petit hæc labores,

Proximus optat.

AD DN. HENRICVM IAGO LL.

Doctorem.

Dum Iago tibi conspicuos Schraderus honores  
Exhibet, ac numeris uox faciata sonat,  
Odera, Sol (inquit) pater ô pulcherrime lucis  
Iam solito fundas clarius arce iubar.  
Quamq; lubens undis alo propter flumina Laurum  
Fac radijs melius crescat ut illa tuis.  
Hinc capiet sertum Iago, qui sacra Themistos  
Castra sub his nostris est ueneratus aquis.  
Eriget is iustum, per uitam iusta secutus,  
Sueuus & ex eius munere sumet opem.  
Si meritis quondam decorantur honoribus illi,  
Quos rigidi Martis traxit ad arma furor,  
Inclyta nec uirtus Themis amplexata queratur  
Præmia non curis esse tributa suis.  
Dixerat hæc, Phœbus cum fouit lumine Laurum,  
Quam modo prælustri uertice Iago gerit.

FINIS.

Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X




sb.

1077







XLV

44

# HONOREM

SIMI VIRI, SAPIENTIA  
TE PRÆSTANTIS D. HENRICI  
Wildeſiensis, cum ei decerneretur  
gradus Doctoris in utroq;  
iure.

termina scripta ab

*Erdmano Copernico*

ET

*Michaele Haslobio.*

*bu.*



Wiesbaden  
Cofurti ad Oderam  
M. D. LXIII.

59

